AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 172r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tra. Sed tamen multi iusti dicti sunt sine querela. quod intelligitur sine crimine.
Nulla enim querela iusta est de his in rebus humanis qui non habent crimen. Crimen est
autem peccatum graue. accusatione et damnatione dignissimum. Non ergo deus
quedam peccata damnat. quedam iustificat. et laudat. Nulla laudat. odit
omnia. Quomodo odit medicus egritudinem egroti. et id agit curando ut e
gritudo pellatur. eger leuetur. sic deus gratia sua hoc in nobis agit ut pec
catum consumatur homo liberetur. Sed quando consumitur inquies. Si minuitur.
quare non consumitur. Minuitur autem in uita proficientium. quod in uita consumitur
perfectorum. Prima est ergo libertas carere criminibus. Ideo et apostolus paulus quando
eligit ordinandos. vel presbiteros. vel diacones. et quicumque ordinandus est
ad prepositura ecclesie. non ait si quis sine peccato est. hoc enim si diceret
omnis homo reprobaretur nullus ordinaretur. sed ait si quis sine crimine.
sicuti est homicidium. adulterium. aliqua inmundicia fornicationis.
furtum. fraus. sacrilegium. et cetera huiusmodi. Cum ceperit ea non habere ho
mo. debet autem non habere omnis xpianus homo. incipit caput eri
gere in libertatem. Sed ista inchoata est non perfecta libertas. Quare inquit
aliquis non est perfecta libertas. Quia uideo aliam legem in membris meis re
pugnantem legi mentis mee. Non enim quod uolo ago ait. sed quod odi illud
facio. Caro inquit concupiscit aduersus spiritum. et spiritus aduersus carnem. ut
non ea que uultis faciatis. Ex parte libertas. ex parte seruitus. Non dum to
ta. non dum pura. non dum plena libertas. quia non dum eternitas. Habemus enim ex
parte infirmitatem. ex parte accipimus libertatem. Quicquid peccatum
est a nobis antea. deletum est in baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas.
nulla remansit infirmitas. Si non remansisset. sine peccato hic ui
uerem. Quis autem audeat hoc dicere nisi superbus. nisi miscendia liberatoris
indignus. nisi qui se ipsum uult decipere. et in quo ueritas non est. Ergo ex eo quod
remansit aliquid infirmitatis audeo dicere. ex qua parte serui
uimus dico. liberi sumus. ex qua parte seruimus legi peccati. adhuc ser
ui sumus. Unde dicit apostolus. quod dicere ceperamus. Condelector legi dei
secundum interiorem hominem. Ecce unde liberi. unde condelectamur legi
dei. Libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod iustum est. non deus
te delectat. Quamdiu non te delectat. adhuc seruus facis. Delectet te.
et liber es. Noli timere penam. sed ama iusticiam. Non dum potes ama
re iusticiam. time vel penam. ut peruenias ad amandam iusticiam. Ergo
iam ille ex parte superiore liberum se esse sentiebat. unde dicebat.